



P R Æ F A T I O

*Ad*

L E C T O R E M.

**V**Ita hæc præfens, Lector optime, similis est panegyri. Sicut enim ad hanc alii certaturi, alii negotiaturi, alii optimi spectatores, alii nigri momi optima quæque & optimos carpere parati veniunt: ita & in vitam alii gloriæ mancipia nascuntur, alii cupiditatis aucupes, alii veritatis studiosi, alii veritatis & studiosorum veritatis hostes professi. Inter hostes illos facile agmen ducunt homines quidam ambitione elati; quo vitio nihil potentius, quoties præsertim animum sublimem & erectum invasit, ad veritatis oppressionem. Ambitio enim omnia labefactat, omnia pervertit, omni machinâ & tormento fortius mentis mœnia expugnat; neque quidquam pensi præter semet ipsa habere solet: & ut sanguine taurino adamantem emolliri scribunt historici naturales, ita robustissima veritatis arx attactu illius collabascit. Utinam igitur singulis Scholarum foribus inscriberentur aurea illa magni Scaligeri verba: *Studio atq; magnanimitate parandum servandumq; est regnum literarum, cujus anima Virtus & Veritas est: non ambitionibus atque factionibus exercenda conjura-*

*A 2*